



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vitruvius Itervm Et Frontinus**

**Vitruvius**

**Florentiae, 1513**

De aedibus co[n]stituendis seccu[n]du[m] regiones. Cap. V.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12979**

De aedibus constituendis secundum regiones.

Caput.

V.

**E**des autem sacrae deorum immortalium ad regiones quas spectare debent, sic erunt constituendae, uti si nulla ratio impedierit, liberaque fuerit pars aedis, signum quod erit in cella collocatum, spectet ad uespertinam caeli regionem, uti qui adierint ad aram imolantes, aut sacrificia facientes, spectent ad partem caeli orientis, & simulacrum, quod erit in aede, & ita uota suscipientes conueantur aedem & orientem caeli, ipsaque simulacra uideantur ex orientia conueniri supplicantes, & sacrificantes, quod aras omnes deorum necesse esse uideatur ad orientem spectare, Sin autem loci natura interpellauerit, tunc conuertendae sunt earum aedium constitutiones, uti quae plurima pars moenium e templis deorum conspiciatur. Item si secundum flumina aedes sacrae fient, ita uti aegypto circa Nilum, ad fluminis ripas uidentur spectare debere, Similiter si circum uias publicas erunt aedificia deorum, ita constituantur, uti praetereuntes possint respicere, & in conspectu salutationes facere.

De hostiorum, & antepagmentorum sacrarum aedium rationibus.

Caput.

VI.

**H**ostiorum autem & eorum antepagmentorum in aedibus haec sunt rationes, uti primum constituentur, quo genere sunt fusturae, Genera sunt enim thyromaton haec, doricum, ionicum, atticurges, Horum symmetriae doriae generis conspiciuntur his rationibus, uti corona summa, quae supra antepagmentum superius imponitur, aequale librae